

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538919**

LXXXII. Dissertatio Chirurgica, De Rupto In Partu Utero.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16590**

LXXXII

DISSERTATIO

CHIRURGICA,

DE

RUPTO IN PARTU UTERO.

*Quam tuebatur*

JO. FRIDER. BEHLING,

HOTA-HANNOVERANUS

Altorfii 20 Decembris anno 1736.

Ooo 2



LXXXII  
DISSERTATIO

CAUSAE

DE

JOHANNES BEHLING

NOTARII

ALTISSIMO

Geo 2



## H I S T O R I A

**M**Uulier, *Kunigunda*, *Georg Hübners*, Civis Altorfini, villam, *Lochners-hof*, inhabitantis, uxor, ætate XLIV. annorum, statura mediocris, octo liberorum mater, jam nonum gravida, ceteroquin sana, & officiis suis strenue fungens, nec ullis per totam ferme vitam morbis antea vexata, circa finem gestationis suæ, ex improvise per plures scalarum gradus decidit, in dorsum terramque prostrata. Nullum hinc amplius vivi fetus motum, sed aliquos potius in abdomine, ejusque latere dextro, sentiebat dolores, eosque, quoties isti lateri incumberet, auctos. Elapso demum octidui spatio, dolores ingruebant parturiendi, iique primis binis diebus mediocres & mitiores, tertio autem die magis feveri. Hinc Altorfio obstetrix vocata, os uteri apertum quidem, at fetus involucris suis adhuc inclusum, minusque recte ad exitum dispositum, cognovit. Altero dein die aquæ erumpabant, sed valde putridæ, fetidæ, & liquamine viscoso, quasi meconii admixti, refertæ. Jam admonita parturiens laborum, hos strenue quidem sustinuit, sed sine ullo fetus successu, nisi quod, altero demum mane, post nifus puerperæ vehementes, & postquam aliqua crepatura ab adstantibus sono observaretur, dextra erumperet manus, eaque subnigra, vesiculisque, sero putrido turgidis, obsessa. Hinc misera labores, viribus ad extremum impensis, porro susceptura, cum nihil eisdem proficere, nec nifus parturiendi uterinos conspirare amplius sentiret, illico e sella parturientium, qua tunc infederat, assurgens sese erexit, in hæc verba erumpens; impossibile esse, ut fetum hunc eniteretur. Obstetrix nihil, quantum quidem ad situm fetus emendandum facere noverat, intentatum reliquit; verum cum nihil efficere posse experiretur, vocatus in auxilium Poliater Altorfinus, Exc. D. D. *Weissius*. Hic analepticis medicamentis puerperæ vires reficere, primum al-laboravit, dein ex adstantibus de modo præmissis certior factus, ipsumque fetus situm percontatus, hunc ipsum minus bene ad partum facilem dispositum, & jam vita defunctum, putredineque correptum, cognovit. Non enim fetor tantum utero exspirabat summe putridus & ferme intolerabilis, dum utero, levibus convulso motibus, liquor mucidus, ex fusco & rubro mixtus, una cum flatibus putridis, e matrice exhibit; sed infans etiam adeo a putredinosa fermentatione erat tumidus, atque inflatus, ut, cum brachium, aut corpus, tangeretur, eodem cum strepitu, quo membrana cellulæ, flatu distensa, crepitare solet, sonum quemdam ederet, & cutis compressa, tanquam spongiosa, facile digitis usque cederet. Abdomen puerperæ multum elevatum, & quasi in formam amplioris cylindri protensum erat. Dolores etiam in latere dextro miseram vix deserebant, immo atroces cruciatus pedem parturientis sinistram, quoties nifus dolorque pariendi instabat, more in quovis prægresso partu solenni, affligebant. Cum itaque de



extractione fetus, citra omne dubium mortui, cogitandum esset, antequam embryotomiam institueret, ut, aut pedibus comprehensis, aut alia situs incongrui mutatione illum educeret, allaboravit laudatus modo D. D. *Weissius*: verum neque caput, nec alterum brachium, tactu manus providæ percipere, nec pedesprehendere ipsi licuit. Uterus enim circa dorsum infantis adeo valide contractus erat, ut ad extremum matris fundum, in quo crura fetus complicata erant, manu pertingere haud permetteretur. Caput etiam, alterumque brachium digitis disquirentibus haud obvium veniebant, sed sentiebatur collum infantis utero dextrorsum exire per hiatum quendam pervium. His ita cognitis, & postquam nec pedes comprehendi, nec caput adduci poterat, licet ad ipsam embryotomiam sese accingere in animo ante habuerat Excell. D. D. *Weissius*, & ad eandem suscipiendam anxiiis miseræ precibus, non tam admoneretur, quam fatigaretur; hanc ipsam tamen operationem jam inutilem, & omittendam potius censuit; quia, fetu licet extracto, vitæ tamen matris servandæ spes nulla erat reliqua. Pulsus enim valde debilis, contractus, celer, inæqualis & intermittens, item virium & caloris jactura, genitalium refrigeratio, anxietas cordis summa, liquor putridus, non uterum tantum, sed ipsa mulieris intestina, ad quæ per hiatum rupturæ pervenisse prævidebatur, lethali necrosi inflammans, nec non horror vehemens, aliquoties recurrens, & totum corpus parturientis concutiens, animi insignis perturbatio, hæmorrhagia lacerati uteri, & plura alia phænomena, certa futuræ mortis erant præfagia. Siquidem misera altero tandem mane epilepsia correpta fatis cessit. Sequenti die Celeb. D. D. *Weissius*, in erudiendis auditoribus suis studiosissimus, a plerisque medicinæ studiosis comitatus, sectionem vitæ defunctæ gravidæ instituit. Hinc inciso abdomine, valde tumido, humor subcruentus, fetidus & putridus, copiosus effluxit. Uterus in fundo suo integer quidem, sed atrorubens, maculis putridis conspicuus, & cylindri amplioris forma protensus erat, in cujus latere dextro, proxime supra ligamentum latum, hiatus rupturæ amplus conspicietur, per quem fetus caput pilosum, & brachium sinistrum complicatum, quæ utraque involucris membranaceis suis adhuc cincta erant, exferebantur. Utero dein dissecto, interna ejus superficies multis locis jam putrilagine inveniebatur corrupta, & in fundo, cum semi putrida placenta, laxè, aut vix cohærebat; orificium etiam matricis internum sat patens, laciniæ autem rupturæ tenues & quasi discriptæ extiterant. Infans ipse utero exemptus, prægrandis, tumidus abdomine, & cute ubivis inflata quasi spongiosus, faciem monstrabat, ab insigni putredine, deformem atque depressam, naribusque suis multam liquaminis ichorosi effundebat; item loco ossis frontis, quod una cum cerebro jam in tabum mutatum & maxima parte colliquatum esse videbatur, sola cutis aderat; intestina autem abdominalia flatibus turgebant, & ipsi demum pectoris pulmones putredine jam infecti tactuque spongiosi, in aquam injecti, in hac non subsidebant, sed supernatabant. Tandem viso sexu fetus masculino, cum mulier ista nusquam puellas,

las, at octo pueros vivos edidisset & nonum illum filium gestasset, curiose in testes ipsius muliebres inquirebatur; & en! dextrum ovarium vegetum, multisque ovulis adhuc refertum; sinistrum autem, alteri prorsus dissimile, scilicet macrum, tenue, vacuum, membranaceum, omnique ovuli specie destitutum invenimus. Cæterum in reliquo mulieris corpore, imprimis facie, multa magnaque putredinis initia observari poterant.

## §. I.

HÆc modo recensita observatio plura, notatu omnino digna, in se habet, quam quidem limites dissertationis comprehendunt. Verum enim vero, cum imprimis ea, quæ ad *rupturam uteri*, tanquam ad principem hujus tragici casus causam, spectant, præmittere mecum constituerim, ideo non singula historiæ momenta sub examinis medici incudem revocabo, sed ea saltem, quæ haud exigui in medicina usus fore judicavero, perlustrabo, & rupturæ matricis contemplationi subjungam.

## §. I I.

Uteri nempe rupturam hac in muliere mortis causam principem pronuntiandam esse, nemo forsan dubitabit. Non enim fetum mortuum, non putrescentem tantum, nec ad partum facilem minus convenienter collocatum, mortis absolutam causam esse, tot monstrant historiæ. Nec casus gravidæ ab alto, nec reliqua parturientium symptomata, satis mihi videntur, ad hanc mulierem interficiendam. Attamen singula tunc ad interitum collineasse, certum est, postquam rupturam uteri partim promoverant, partim insanabilem atque lethiferam reddiderant.

## §. I I I.

Non enim hic dispiciam, an omnis uteri laceratio, atque vel illa, quæ in parturientibus contingit, mortem semper & certo adferat? Infra enim docebo, haud impossibile esse, ut aliquando, & certis sub conditionibus, uterus a fetu laceratus consolidari, mulierque servari possit. Hoc tamen in casu supra recensito, non hæmorrhagiam tantum, sed putrilaginem etiam, ab infante mortuo & jam putrescente proveniente, visceribusque matris communicatam, mortis ansam dedisse, & rationi & experientiæ consentaneum est. Cum enim propter sanguinem, e laceratis in amplo rupturæ hiato vasibus, largiter effusum, vires admodum fractæ & exhaustæ, sustinendis superandisque symptomatibus redderentur impares, atque putridus humor cruorem extravasatum, in abdomine contentum, nociva facultate viscera corrumpendi inquinaret, non potuit non vita cum morte commutari.

## §. I V.



## §. I V.

Rarus equidem vulgo censetur casus rupti in partu uteri; ideo nostram etiam historiam, eatenus compellare possem raram. Verum enim vero, sicuti plures in scriptis medicorum reperiundæ ejus observationes; ita forsitan crebrius accidit parturientibus hæc uteri laceratio, quam quidem ab auctoribus adnotatum est. Ita enim, teste *Bartholino* [a], *Jo. Gasp. Faussius* in *Epist. ad Strausium*, magno judicio & Coi gravitate negat, rarum esse, rupto utero fetum in ventris spacium illabi. Celeb. etiam *Heisterus* [b] affirmat, sibi hanc affectionem in partu difficili sæpius contingere videri, quam hæctenus vulgo creditum est. Cujus rei plura testimonia videbimus ex frequentia observationum.

## §. V.

Quænam autem causa hujus rupturæ extiterit? nunc erit disquirendum. Satis enim testantur observatorum historiarum, uterum gravidum variis de causis esse laceratum. Ita *Stalpartius vander Wiel* [c] inter frequentes ejus causas recenset, situm fetus in utero malum, uteri substantiam tenuem, nimiamque ejus extensionem, item fortiora fetum pellentia assumpta, internum uteri os non satis apertum, prominentias vel excrescentias carnosas, ulcera, scirrhusque, infanti exitum præcludentes, nec non pravam uteri a natura conformationem, fetus calcitrantis fortitudinem, ejusque nimiam magnitudinem, & demum præmaturum aquarum effluxum. Conveniunt etiam cum modo recensitis causis multæ medicorum historiarum, quibus singulis recensendis non jam immorabor, sed nomina saltem auctorum huc pertinentium allegasse, & locos recensitionis indicasse sufficiat. Inter hos sunt præcipui: modo nominatus *Stalpartius* [d], *Guilb. Fabricius Hildanus* [e], *Solingius* [f], *Scholzius* [g], *Salmuthus* [h], *Dionis* [i], *Riedlinus* [k], *Knoblochius* [l], *Reuselinus* & *Witzelinus* [m], *Heisterus* [n], *Trewius* [o],  
Schuri-

[a] Tr. de insolitis partus hum. viis, cap. XI. p. 76.

[b] In act. nat. cur. vol. I. obs. 176. p. 397.

[c] Observat. rar. cent. 2. not. ad observ. 30. pag. 316. 318. 319.

[d] l. c. observat. 30. pag. 315. item cent. 1. obs. 76. p. 284.

[e] obs. chirurg. cent. 1. obs. 64. &amp; 67. item cent. 4. obs. 57.

[f] Observ. peculiar. de Mulier. &amp; infant. fol. 26. edit. germ. p. 776. item in Embryulc. fol. 39. edit. germ. pag. 31. seq.

[g] Ephem. N. cur. dec. 1. an. 2. obs. 85. pag. 159.

[h] Obs. 16. cent. 1. pag. 12.

[i] Des operations de chirurg. demonst. II. pag. 119. edit. germ. p. 177.

[k] Obs. med. cent. obs. 82. p. 169.

[l] In Epist. ad Horstium; vid. Greg. Horst. obs. &amp; Epist. lib. I. sect. 17. p. 494.

[m] Misc. Nat. Cur. dec. II. anno 7.

[n] Act. nat. cur. vol. I. obs. 176. p. 397.

[o] Act. N. C. vol. II. obs. 49. pag. 112.



Schurigius [ p ], Mauriceau [ q ], Bonetus [ r ], Preussius [ s ] & plures.

## §. V I.

His modo nominatis causis merito etiam accensendæ sunt externæ & occasionales; lapsus nempe seu casus, ictus, vulnus, aut quidquid uterum in aliqua ejus parte vel suggillando, vel lacerando, vulnerandoque, ita lædit, ut pristinam & æqualem resistendi continendique facultatem perdat. Huc pertinent historiæ, quas Mauriceau [ t ], Joan. Maur. Hoffmannus, [ u ], Joan. Gasp. Fausinus [ w ], & Riedlinus [ x ] habent; immo Roonhuysius [ y ], causam lacerati uteri, injuriæ tantum externæ, & aut lapsui, aut ictui adscribendam censuit, in historia quadam ab ipso recensita, licet de prægressa violentiæ ratione certus haud extiterit. His addo improvidam aliquando & violentam nimis fetuum male collocatorum conversionem, & nimium parturientium laborem matricem lacerare posse.

## §. V I I.

Si ad nostram respicimus historiam, tria sunt præcipua, quibus rupturæ uteri adscribi poterit; Partu scilicet difficili, ex infante mortuo, maleque ad exitum disposito; dein magnis parturientis ad illum expellendum laboribus, & demum lapsu, quem aliquot ante partum dies gravida sustinuit.

## §. V I I I.

Quemadmodum enim ex plerisque patet autorum allegatorum historiis; difficilem partum, ex fetuum prava ad exitum dispositione, ansam rupturæ dedisse; ita non possum, quin eandem causam etiam nostro in casu primum accusarem. Rarus enim omnino est ille casus, quem Schenckius [ z ] refert, de fetu quodam, qui, capite deorsum directo, facie ad posteriora reclinata, corporisque trunco in longitudinem extenso, situm quidem ad partum facilem alioquin accommodatum obtinuerat, nihilominus tamen utero disrupto,

[ p ] Embryolog. sect. 3. cap. 3. §. 7. p. 247.

[ q ] Observat. sur la gross. obf. 251. p. 146. edit. germ. p. 422.

[ r ] Sepulchr. l. 3. sect. 28. obf. 2. §. 2. 3. 4. p. 1373.

[ s ] Ephem. nat. cur. cent. 9. obf. 19. p. 21.

[ t ] L. c.

[ u ] Ephem. nat. cur. cent. 10. observ. 29. pag. 301.

[ w ] Bartholinum de infolit. partus viis p. 76.

[ x ] Loc. c.

[ y ] In obf. med. l. 2. obf. 1. edit. germ. p. 18. 19.

[ z ] Obf. lib. 4. p. 611.



in ventris inferioris capacitate liber inventus est. Plurimæ autem historiae de situ fetus ad partum minus composito testantur; siquidem alius infans, exemplo ab *Hildano* delineato [a], transverse collocatus, uterum pede altero perforavit; alius autem ano inclinato, pedibusque sursum protensis, ut ex *Reislii* [b] historia patet, exitum affectavit, sed non, nisi intra cavitatem abdominis, invenit; alius alio modo complicatus, edi haud poterat; alii autem & plerique altero brachio, per vaginam exerto, prodeuntes difficilem exeundi viam ingressi sunt.

## §. IX.

Cum enim infantes, præsertim grandiores atque maturi, brachio prodeuntes, unanimi omnium consensu, partum sibi reddant difficilem, immo ex *Hippocratis* [c] sententia, lethalem; ideo magis difficilem redditum esse nostro in casu partum, plura sunt, quæ comprobant. Si enim, testibus *Deventero* [d] *Mauriceau* [e]. *De la Motte* [f], aliisque, infante mortuo, prægrandi maleque collocato, partus admodum, totidemque nominibus, difficilis compellendus est; hæc in nostra parturiente convenere, ejusdemque labores magis dolorosos reddidere, utero per lapsum antea suggillato & læso.

## §. X.

Fetum enim, qui ante, quam gravida lapsu eundem offenderet, valde sese moverat, post casum perpeßum vitam perdidisse, vel inde apparet, quia mater nullum dein motum infantis amplius senserat, & ipse infans, utero in sectione extractus, tanta correptus fuerat putredine, ut faciei partes internæ, cerebrum, maximaque ossis frontis pars, jamjam in tabum mutata & colliquata, cutis etiam sua cuticula privata, spongiosa, pulmones natantes, intestina flatibus turgida, ipseque liquor amnii a putrida colluvie confurcatus, observata sint.

## §. XI.

A laboribus autem parturientis vehementibus atque nimis uterum rumpi gravidum, id nonnullis vero haud simile videri posset. Verumtamen vero, assensum ab his me facile reportaturum confido, si modo historias supra memoratas, attento perlustraverint animo. Non enim tantum *Hildanus* & *Knoblochius* [g] abufui medicamentorum fetum pellentium causam disrupti

[a] M. cent. c. IV.

[b] An. 7. obf. 10. p. 16.

[c] Lib. 10. de extract. fetus.

[d] De arte obstetric.

[e] Tr. des malad. des femm. gross.

[f] Trait. des malad. des fem. gross. passim.

[g] Misc. nat. cur. dec. II. an. 7. obf. 115. p. 194.

in partu uteri plurimum adscribunt; sed & *Andr. Loew* differtis verbis affirmat: *parturientem quandam in maximis doloribus & ad parturiendum conatibus fuisse constitutam, cum ingens audiretur fragor, uteri tum temporis sine dubio diffracti signum. Schurigius [h] etiam, in ea, quam recenset, observatione propria, ita: Primipara, scribit, vegeta & robusta ---- ad majores exclusionis nisus ab obstetrice admonita, in tanto labore ex improvise magnum in abdomine crepitum atque dolorem peculiarem persentit, quem sonum adstantes quoque auribus percipiunt; quo facto omnino statim nisus cessat, ipsaque puerpera paulo post animum exhalat; fetu extra uterum disruptum in sectione defuncta reperto.*

## §. XII.

Idem in nostra puerpera accidisse, patet testimonio ipsius historię. Cum enim illa inter nisus vehementes, & postquam crepatura audita erat, brachium fetus ederet, dubio procul uterus rupturam simul passus est. Namque a laceratis membranarum fetum involventibus fragorem tantum & internum effici non potuisse, plura sunt, quę mihi persuadent, argumenta. Aquę enim, pridie effluxę, chorion & amnion jam ante disruperant, & ob putrilaginem suam adeo tenues jam reddiderant istas membranas, ut tantum fragorem edere haud potuissent. Dein parturiens continuandis partus laboribus haud amplius sufficiens, & e sella assurgens, severe enunciavit, se infantem suum haud posse edere; sine dubio, propter immanes dolores, quos auctos sensit, quoties abdominalium musculorum compressione fetum urgebat, & ad amplius lacerandum uterum impellebat. Demum etiam inter signa rupti modo uteri pertinet, in plerisque recensitis historiis observata, subitanea dolorum seu nisuum uterinorum cessatio, quę etiam cum illo tempore coincidit, quo mulier hæc a laboribus partus destitit. Postremo sanguis e ruptura profuens, & liquamini putrido, ab infante & amnii liquore proveniente admixtus, statim post crepaturam uteri visus, id magis confirmat.

## §. XIII.

Ita quidem de tempore, quo ruptus sit uterus, judicium haud erit difficile. Non enim statim a lapsu matricem disruptam esse, partim ex accidentibus commemoratis, partim ex aliorum auctorum observationibus constat. Nam simulac crepatura uteri facta est, tunc ex laceratis copiosis & inter se per anastomoses connexis, vasis uterinis profuens subsequatur necesse est hæmorrhagia, ut, aut exemplo *Dionis [i]* mors gravidam cito excipiat, aut sanguinis profuvium, cujus cel. *Trewius [k]* meminit, accidat; aut fan-

P p p 2

guis,

[h] L. c.

[i] Loc. cit. item misc. nat. cur. dec. II. anno 2. p. 475. ubi proluxa extat historię recensio.

[k] L. cit.



guis, cum latus in abdomine, vitam gravidæ ad octo dies, sicut in nostrâ, protrahere haud permittat, id quod historia *Stalpartii* [1] & *Solingii* [m] fati testantur. Postquam autem hæc, de qua agimus, mulier, per 8. vel plures dies, a casu ex alto, non tantum superstes mansit, sed etiam domesticis negotiis suis fat prompte præfuit; hinc non in ipso lapsu, sed ipsos inter partus demum labores uterum ejus ruptum esse, concludimus.

## §. XIV.

Ipsos autem nimios partus labores, non parum attulisse ad uterum lacrandum, ex pravo infantis situ facile est judicatu. Fetus enim grandis, dextro brachio per vaginam emissus, & axilla præeunte, utero exire haud potuit, sed quo magis is, ano pedibusque antrorsum versus abdomen protensus, a pressione musculorum abdominalium urgebatur, eo magis & capite & olecrano, utrisque ad latus uteri positus, matricem hoc loco distendit, eandemque hoc facilius dirupit, quo magis hæc a fugillatione, e lapsu prægresso accepta, tonô suo resistendique potentia erat privata. Unde non potuit non fieri, quin tandem in latere isto rumperetur uterus.

## §. XV.

Casus ex alto symbolum suum etiam huc contulit. Sicuti enim supra §. VI. allegatæ *Hoffmanni*, *Mauriceau*, *Riedlini* & reliquorum historiarum, lapsum gravidorum tanquam causam, rupturam uteri præcedentem, merito accusant; ita etiam simili ratione uterum hujus, de qua loquimur, mulieris suggillatum esse, vero videtur simillimum, partim propter dolorem continuu, qui gravidam ad illud decumbere latus haud amplius permisit, partim etiam, quod eodem doloris loco uterus in partu diruptus est. Exemplum enim *Riedlini* a nostro non multum discrepat, ubi scilicet militis cujusdam uxor, per aliquot scalarum gradus delapsa, eodem loco, quo post casum, aliquot septimanas prægressum, de dolore continuo conquesta erat, uterum præter morem tenuissimum, & a brachio fetus perforatum, in sectione difficili partu defunctæ, monstravit.

## §. XVI.

Quamquam enim nostra non ex prono in terram lapsu abdomen adeo aliterat, ut *Hoffmannus* l. c. de muliere quadam refert; attamen supina nostræ in terram prostratione, pondus infantis mascululi adeo ad marginem circularem ossium pelvis allidere, & intermedium uteri latus ita contundere valuit, ut non solum fetus lethalem reportaret læsionem, sed & uterus mag-

[1] Cent. II. observ. 30.

[m] L. cit.

magnam & doloris plenam incurreret fuggillationem, levemque fibrillarum membranaceo carnosarum divulsionem. Siquidem si in locum rupti uteri singulis in historiis inquirimus, rarissime, aut vix unquam, accidit in fundo, quippe qui natura sua nonnihil robustior, & ab adhærente placenta munitus esse solet; communissime autem rupturam invenimus in alterutro ejus latere, vel illa parte, qua recto intestino incumbit, adnotatam esse.

## §. XVII.

Cognitis itaque rationibus, quibus mater æque ac infans succubere; nunc in eas inquiramus, quæ utrisque servandis inservire potuissent. De fetu quidem certo enunciare haud possum, an statim a lapsu, an altero quodam die vitam suam finierit? Inter ea enim, quæ mortuum fetum arguunt, signa, nullum a puerpera attente observatum est, nisi quod motum infantis vivum ab illo tempore haud amplius senserit. Ipsa tamen fetus putredo, tumida ejus & inflata cutis, & reliqua corruptionis signa, satis indicant, fetum jam ante partus initium vita defunctum, nec, cum ederetur, servandum fuisse.

## §. XVIII.

Matrem autem, secura ratione a fetu mortuo liberatam, forsitan evadere potuisse, spem non abjicio omnem. Quanquam enim illa uterum, eo loco, quo dolores a lapsu perpessa erat, fuggillaverit; ista tamen læsio haud omnino lethalis censenda est; quia præter mediocrem dolorem, nullis, quæ *Celsus* [u] vulnerato utero tribuit, symptomatibus affecta mulier, per otidium rebus domesticis sat prompte præfuit, nec ulla hæmorrhagia ante, quam crepatura audita, sese prodidit. Quodsi ergo statim, ac conatus parturienti ingruerent, orificio uteri satis connivente, decens obstetricantium encheiresis adhibita, situs nempe infantis pravus emendatus, & aquis modo effluentibus, laxoque adhuc utero, fetus aut capite pronato, aut pedibus prehensus, extractus fuisset; mulier rupturam uteri leviter fuggillati forsitan haud esset passa. Irritis etiam his fetum educendi artibus, per embryulciam, aut per cautam infantis in utero dissectionem, mater servari potuisset, dummodo laboribus nimis matricem haud lacerasset, nec lethalia sibi accersivisset symptomata.

## §. XIX.

Uteri enim vulnera haud difficulter sanabilia esse, non solum *Jonstonus* [o] pronunciat, sed etiam e sectione cæsarea feliciter instituta clarum patet. Accidit etiam non raro, mulieres casu, ictu, & allisione uterum gravidum offendisse, & tamen feliciter peperisse. Fetum etiam in utero mortuum  
P p p 3 alium,

[u] Lib. 4. cap. 26.

[o] Idea medic. pract. lib. X. tit. 12. cap. I. artic. I. p. m. 695.



alium, carnibus putredine absumptis, frustatim via ordinaria exiisse, alium per abscessum inguinalem, alium per alvum, membris saltem ossibus, singulis per vices editis, extractum esse, ex *Sennertii*, *Roonhuysii*, [p] iisque, quas *Schurigius* [q] collegit, historiis, nec non exemplo *Gasseri*, ad *Cornacem* [r] transcripti, satis constat. Taceo varias sententias, quas de infante *Mussipontano* habent *Bartholinus* [s] *Deusingius* [t] & *Rossetus* [u]. Ex antecedentibus enim satis liquet, utrum quidem a fetu perforatum, eundem tamen denuo sanatum & consolidatum esse.

## §. X X.

Quapropter uterum, in partu licet ruptum, medelam tamen interdum admittere, probabile est, his præsertim sub conditionibus, scilicet si locus per abscessum quendam successive, & ut in abscessibus fieri solet, sine larga hæmorrhagia subsequente perforetur, dein bene mundificatus consolidetur; porro si, rupturâ recens facta, nec adeo ampla existente, infans quantocyus extrahatur, nec magna sinceri sanguinis copia abdominis cavitatem ingrediatur, sed cruor exitum cum lochiis inveniat; si matrix etiam, dum post partum contrahitur, hiatus rupturæ simul claudat; item si infans, aut vivus, aut nondum putridus, extractus fuerit; & demum, si matris optime valentis vires adhuc salvæ existant, nec matrix sphacelo vel alio morbo jam correpta sit. Tunc enim per medicamenta convenientia, externa æque ac interna, vulneraria, antispasmodica, mundificantia, balsamica, roborantia, & discutientia consolidationem uteri disrupti promoveri aliquando, & puerperam servari posse, spes quædam est reliqua.

## §. X X I.

Nostro autem in casu mulierem, fetu licet per operationem dexterrime institutam feliciter extracto, nulla ratione e mortis faucibus, quibus jam tum hærebat, eripi potuisse, ex iis, quas historia habet, signis abunde constat. Puerpera enim viribus exhausta, frequentibus horroribus ipsaque epilepsia jam convulsa, atque agonizante, sanguine etiam per hæmorrhagiam largam extravasato, eoque in abdomine contento, & ab admixto fetido infantis putrescentis liquamine ad corruptionem prono, matrice etiam gangrænosa existente (siquidem mulieris hujus uterus in sectione non pallidus, sed atrorubens inventus) operationem aut embryotomiæ, aut sectionis

[p] Pract. medic. lib. IV. part. I. sect. II. cap. 18. p. 109.

[q] Loc. cit. p. 21.

[r] Embryol. sect. III. cap. 2. & 3. Enchirid. medicæ consultat. in append. hist. & epist. p. 209.

[s] Cit. loc. p. 18.

[t] Hist. fetus extra uterum in abdomine.

[u] Vid. ejus exsectionem fetus vivi e matre viva, circa finem.

nis cæsareæ suscipere, non tantum frustraneus, sed etiam famæ chirurgi dispendiosus labor nominandus erit.

## §. XXII.

Plura quidem ad rupturam uteri spectantia argumenta perlustrare possem; verum, ne limites mihi propositos transcendam, progredior ad phænomenon *pulmonum* fetus nostri, in aqua non subsidentium, sed *natantium*, licet is certe auram inspirando hauserit nusquam, nec vivus editus sit. Fallax hinc utique signum partus vivi e pulmonibus in aqua natantibus desumi posse videretur; sicuti ex adverso pulmonum in aqua subsidentiam de partu mortuo haud certo testari, non ita pridem notabili nobis comprobavit exemplo laudatus D. D. *Weissus*. Cum enim is pauco abhinc tempore infantem maturum, vivum quidem, at sine ullo clamore editum, & post aliquot oscitationes, corporisque leves commotiones, mortuum cultro aperiret, pulmones extracti, & in aquam injecti, in hac statim subsidentes observati sunt, qui tamen ipsi, semel inflato per tracheam spiritu, fundum non amplius petierunt, sed supernatarunt; manifesto indicio, fetus quidem edi posse vivos, quorum tamen pulmones in aqua subsident, si scilicet spiritum nondum hauserint; &, ex adverso, fetus aliquando nasci mortuos, quorum tamen pulmones in aqua supernatant.

## §. XXIII.

Quamquam autem ex utrisque his experimentis dubium reddi videatur signum fetus vivi aut mortui editi, e pulmonum in aqua natantium aut subsidentium examine desumptum; limitata tamen regula, facile erit, veritatem hujus indicii ita determinare, ut non tam inde evertatur, quam potius confirmetur. Certum enim & indubium est, pulmones fetus in aqua subsidentes indicare, quod infans nunquam & nondum respiraverit; ex adverso, iisdem supernatantibus, si modo recentibus, infantem certo, atque aut sponte, inspirasse, aut aërem, more obstetricibus aliquando solemniter, per os infantis inflatum esse, constat. Quodsi autem pulmones e cadavere infantis, ab aliquot inde diebus mortui, & jam adeo putrescentis corpore extracti sint, ut cutis fetus ejusque intestina, quæ alias non ita, sicut in fetu nostro, flatu turgida visuntur, a fermentatione putredinosa multum inflata appareant; tunc pulmones in aqua natantes de infantis prægressâ inspiratione non absolute testantur. Quamquam enim celeberr. D. D. *Teichmeyer* [x] pro certo affirmet, pulmones fetus per nullam, atque ne extremam quidem putredinem, ad eam levitatem adduci posse, qualis in pulmonibus respirantium, observatur; nihilominus tamen nostro convicti experimento non dubitamus, pulmonem infantis, in matre viva mortui, concep-

[x] Institut. med. legal. cap. 24. p. 239.



ta intus putredine, fetum valde inflante, ita prompte in aqua natate, nec subsidere, ac infantis pulmones inspiratione inflatos. Forſan enim illius in pulmonibus vitulinis factum experimentum tanto aëris proventui & retentioni haud opportunum extitit, ubi nec caloris tepidi gradus admotus, nec aëris ambientis, flatumque intus natum absorbentis, accessus ita, ut in nostro caſu, interdictus erat.

## §. XXI V.

Quod demum ad discrimen in utroque ovario conſpicuum attinet; illud quidem Hippocratis [y] ſententiam, qua masculos fetus a dextra, femininos autem a ſiniſtra uteri parte vult proficiſci, ſatis confirmare videtur; ſcilicet quod hæc mulier tempore conjugii ſui novem filios, nullam autem unquam filiam, ediderit, & manifeſto ſiniſtri ovarii, male conformati, vitio laboraverit. Verum, ſicuti ex ſingulari quadam obſervatione ad naturam mulierum univerſam argumentari haud licet; ita loci hujus, quo masculus aut femininus fetus concipiatur, certitudinem aliæ evertunt obſervationes, imprimis ea, quam Cyprianus [z] refert de fetu feminino, e dextra matris vivæ tuba Fallopiana exciſo; ubi ſimul notatu dignum, mulierem iſtam altero anno puellam, altero gemellos, masculum nempe & puellam poſtea peperiffe, licet præſumi poſſit, viam, quæ e dextro ovario ovulum imprægnatum ad uterum devolutum ſit, ob ſectionem prægreſſam, plurimum præcluſam fuiſſe.

## §. XX V.

Ex iis itaque, quæ præmiſimus, ſatis patet, mulieres gravidas, ſi quando a lapſu, icſtu, vel alia ratione, vel morbo quodam læſionem uteri aliquam acceperint, & dolore inde afficiantur, in partu mollius, & magna cum providentia, tractandas eſſe, eaſdemque nec validos nimioſque ad enitendum labores ſuſtinere, multo minus medicamenta fetum pellentia, hoc imprimis male ad exitum diſpoſito, aſſumere debere; niſi rupturæ uteri periculum incurrere velint. Plures nunc, quas ante propoſui, regulas haud repetam, ſed potius hujus laboris, quem B. L. æqui bonique conſulet, faciam finem; Deo ter opt. max. pro omnibus, quibus a prima juventute me cumulavit bonis, & imprimis ſtudia mea promovit auxiliis, gratias agens, quas poſſum, maximas.

[y] Aphoriſm. ſect. V. aph. 48.

[z] Epist. de hiſtoria fetus humani exciſi.



LXXXIII

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA;

DE  
RUPTO IN PARTU UTERO.

*Quam tuebatur*

J. O. JACOB. MULLER

HELVETO-TOGGIUS

Basileæ 26. Martii 1745.

Tom. III.

299

